



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De dulcedine Alheydis Abbatissae Monasteriensis sacrae communione,
cap. 40.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

glorificantibus, qui facit mirabilia magna solus.
APOLLONIVS: Valde me lætificat horum relatio.
CÆSARIUS: Aduerte nunc, quanta sit in corpore Christi dulcedo.

CAPVT XXXIX.

*Dulcedo
qua est
in sacra
Euchari
stia.*

NOui quondam sanctimonialem ordinis nostri, quæ illam accepit à Domino gratiam, vt quando communicat, tantam ex ipso sacro corpore dulcedinem sentiat, ac si mel reciperet: non saporem panis, sed mellis, vt dixi, in masticatione sensit tota illa die, maximè ante perceptionem cibi corporalis, saliuam habens mellifluam. Nec mirum, legitur enim de manna, quòd gustus eius fuerit quasi simile cū melle. Est autè eadem sanctimonialis virgo vitæ venerabilis, cuius personam supprimo, eo quòd adhuc viuat, & se prodi non permittat.

Exod. 16

CAPVT XL.

*Marion
falt.*

Similem gratiam, & fortè maiorem, auditi colatam fuisse dominæ Alheydi, primæ Abbatisse Monasterij ciuitatis VVestualix: hæc quotienscunque corpus Domini à sacerdote suscepit, nõ panis soliditatem inter dentes, neque panis saporem intra fauces sensit, sed ipsum sacramētum, quali fauus mellis sine masticatione, per guttur eius in ventrem defluxit, sic vt mira suauitate omnia eius interiora replerentur: quando defuncta est, dominus Florentius Abbas de Campo sanctæ Mariæ, qui pater eius fuerat spiritualis atque confessor, post sepulturam eius omnibus qui confluxerant, eandem gratiam prædicauit.

Iudi. 14.

Apoc. 5.

Canti. 4.

APOLLONIVS: Si de cadauere leonis, vt legitur in Iudicum, egressa est dulcedo; non miror, si de corpore Christi, qui est leo de tribu Iuda, dulcedo egreditur.
CÆSAR. Iustè moueris, videtur huic beatæ congruisse illud sponsi in Canticis Canticorum: Fauus distillans labia tua sponsa, subaudis, est tibi corpus meum. **APOLLONIVS**: Quæ tibi videtur fuisse causa illius dulcedinis in sacramento, atque liquefactionis? **CÆSARIUS**: Ardor perfectæ charitatis, qua æstuat; nam cùm esset naturaliter, vel potius ex abstinentia & laboribus
 semper

semper pallida atque macilenta, quotiens eam communicare contigit, ita inflammabatur, ut facies illius igneo colore resplenderet. Legitur in Exodo, quod incalescente sole liquefiebat manna. Manna sua dulcedine, atque albedine, significat Christum, qui ait: Ego sum panis viuus, qui de celo descendi: de quo in Psalmo scriptum est: Panem Angelorum manducauit homo. Sol quia calet & illuminat, perfecta charitas est. Si enim manna liquefiebat incalescente sole, non mirum si eius significatum dulcescit & liquefcit, inardescente charitate. Et licet in sacra communione huiusmodi dulcedo corporalis, siue liquefactio, fit rarior, non tamen ea dulcedine, seu liquefactione, quæ in anima fit spiritualiter, est salubrior. Bene Christi dulcedinem senserat, qui ait: Dulcis & rectus Dominus. Et in alio loco: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. De liquefactione sponsa dicit in Canticis: Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CÆSARIVS: Corpus Dominicum manna est absconditum, omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suauitatem. APOLLONIVS: Si tanta gratia est in sacramento altaris, quid est quod alij alijs rariùs communicant? CÆSARIVS: Quidam se subtrahunt ex humilitate, indignos se iudicantes, alij minùs curant, vel propter morsum conscientie accedere non audent: priores spiritualiter communicant, sequentes magna gratia se priuant: quidam sunt, qui & libenter communicant, & tanta gratia se dignos exhibent, hi beati sunt. Ponatur duos æquales esse in charitate, & vnus simpliciter ad Christi corpus accedat, alter verò simpliciter dimittat, in communicante, sicut credo, intenditur charitas, & fit in eis mox meriti inæqualitas. APOLLONIVS: Vnde hoc probas? CÆSARIVS: Manna non descendit sine rore, neque Christi corpus à bonis fumitur sine augmento gratie. Quod bonum sit bonis communicare, duobus tibi exemplis p̄adam sequentibus.

Exod. 16

Ioan. 6.

Psal. 77.

Psal. 24.

Psal. 118

Cant. 5.

Apoc. 2.

Sap. 16.

Exod. 16